



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. Alia quædam ad confirmationem electionis pertinentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

nem præstiti numerandum. Plura alia videri possunt in *relat. c.* quæ ad petendam hanc confirmationem novissima hæc jura statuunt & observari debent, nisi consuetudo alia alicubi vigeat.

§. IV.

De iis, quæ præcedere debent confirmationem?

Confirmatio dari non debet, nisi prius instituta inquisitione, de forma, & processu electionis, ac de meritis, & conditione electi *c. Nihil 44. h. t.* ut ne cum detrimento Ecclesiæ, aut indigni assumantur ad regimen Ecclesiæ, aut contra legitimam electionis formam procedatur, & hinc decretum electionis continens totam seriem, seu processum electionis, authenticè descriptum Romam submitti debet (ut ait *Gloss. in c. innovit 20. h. t. V. decreto*) una cum examine super qualitatibus electi, per testes probatis; de quo Examine plura statuit *Gregorius XIV. in sua Bulla: Onus Apostolica, 1510. r. Maij*, ac observari debet, si non aliud recepta consuetudo, & praxis habeat. Deinde si electus coelectus, vel alium suæ electionis adversarium habeat, ii ante confirmationem nominatim vocandi sunt, ad causam suam agendam: si verò concursus fuerit electio, & nullus se opponat, edictum tamen generale, ad valvas Ecclesiæ, in quâ electio facta est, affigendum, in quo contradictores, si qui sint, pæsempronie vocentur, ut statuto die, & loco confirmationis faciendæ veniant causas impugnandæ electionis, & impediendæ confirmationis dicendi juxta *c. fin. h. t.* ita ut his omiſſis, nulla sit confirma-

tio: qui tamen edicto tali proposito ante confirmationem, nihil contra electionem agit, confirmatione subsecuta non auditur amplius, si velit postmodum contra electionem hanc opponere aliquid, nisi absens fuerit, aut probabilem edicti ignorantiam per verisimiles conjecturas, & accedens juramentum probare possit *Argu. c. ult. qui marri. accus. poss. vel non per viam exceptionis, sed per viam denuntiationis Canonice contra electum & confirmatum opponat aliquid.*

§. V.

Alia quadam ad confirmationem electionis pertinentia.

Si quis ad eandem Prælaturam pluribus diversis electionibus electus est, non potest ad impetrandam confirmationem utraq; uti, *c. ut quis 25. h. t. in 6.* quamvis enim pluribus defensionibus ad titulum beneficii acquisitum defendendum, uti possit, juxta *Reg. juris 20. in 6.* quia tamen confirmatio vagari non potest in incerto, sed super re, vel jure certo fieri debet, consequenter una aliqua electio ab electo determinanda est, cujus confirmatio petatur. Fieri autem debet confirmatio electionis non in curia, aut palatio secularis alicujus Principis, sed in Ecclesia, vel Palatio superioris Ecclesiastici confirmantis, uti colligitur *exc. qua fronte de Appellat.* eo ipso enim, quòd causæ cognitionem requirat confirmatio, conveniens est, ut fiat in loco Ecclesiastico. Neque tamen cassatâ confirmatione, ob defectum aliquem Canonicum, qui in ea intervenit, cassatur etiam electio, legitimè facta, ut constat *ex*

c. si confirmationem 39. h. t. in 6. quia utile per inutile non vitiatur, si unum ab altero separari possit, juxta *Reg. juris 37. in 6.* & hinc fieri potest, ut electio quidem valida sit, confirmatio verò nulla, si v.g. Ecclesie alicui, ut provideant Canonici, prohibuit quidem Pontifex, Canonici tamen ante prohibitionem talem, Prælatum jam elegerunt, confirmatio tamen illius facta fuit post prohibitionem, ut patet ex *c. si eo tempore 45. h. t. in 6.*

§. VI.

De potestate Archiepiscopi, vel Episcopi Electi, & confirmati, sed nondum consecrati.

Resp. 1. Archiepiscopum electum, & confirmatum, nondum tamen consecratum, & qui pallium Archiepiscopale nondum accepit, posse quidem actus jurisdictionis aliquos, quales sunt causas audire, & cognoscere, delegare, judices constituere, committere potestatem ordinandi &c. exercere, non autem licetè posse actus majoris jurisdictionis exercere, qui proprii sunt dignitatis Episcopalis, uti patet ex *c. quod sicut 28. §. præterea h. t.* per pallium enim, quod ante consecrationem non confertur, confertur Archiepiscopo plenitudo potestatis ad ejusmodi actus Archiepiscopales exercendos, quos quamvis validè etiam sine pallio exercere potest, non tamen licetè, cum à sacris Canonibus hoc illi prohibeatur.

Resp. 2. Episcopum electum, & confirmatum, licet consecratus non sit, posse ea omnia exercere, quæ solius ju-

Compend. Pirhing.

risdictionis Episcopalis sunt, non autem ea, quæ sunt ordinis Episcopalis; prout sumitur ex *c. transmissam 15. h. t.* juncta *Gloss. V. de talibus.* Cum enim Ordo Episcopalis non conferatur, nisi per consecrationem, consequenter ea exercere non potest, quæ sunt Ordinis Episcopalis, si consecratus nondum sit; contra verò, cum ad actus jurisdictionis exercendos nullus Ordo per se requiratur, sed requiratur tantum, ut jus in re, sive jus administrationis illi conveniat, hoc autem jus per confirmationem obtineat, poterit consequenter actus jurisdictionis exercere, quamvis consecratus non sit, modò sit confirmatus. Sunt quidem qui putant, Episcopum nondum consecratum, non posse per se causas criminales, quæ inter arduas numerantur, & majoris inquisitionis discussionem requirunt, cognoscere, & judicare; verius tamen sentiunt, qui etiam has causas criminales judicari posse putant ab Episcopo confirmato, non consecrato; quod enim potest alicui simplici Sacerdoti, qui nec Ordinem, nec jurisdictionem Episcopalem habet, delegare Episcopus, hoc utique etiam per se potest, quamvis Ordinem Episcopalem non habeat. Potest autem Episcopus actus hos jurisdictionis exercere, si confirmatus sit, ante solemnem installationem seu corporalem introductionem in possessionem, cum per solam confirmationem jam omnia jura illi competant, & sedes non amplius vacet, nisi aliud aliquid particularis loci consuetudo requirat.

* * *
* * *
*

L

§. VII. De